

# THESES,

QUAS

STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM  
IMPERIAL. ABOËNSEM  
EXERCITATIONI INSERVITURAS  
CONSENSU AMPL. FAC. PHILOSOPH.

PUBLICE PROPONIT

*PETRUS AD. v. BONSDORFF,*  
*Chemiae Professor P. & O.*

RESPONDENTE

*ALEXANDRO v. NORDTMAN,*  
*Stipendiario Publ. Wiburgensi,*

In Auditorio Medico die XIII Junii MDCCCXXV.

h. a. m. s.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.





### *Thesis I.*

**E** continuata diversorum in physica rerum natura phenome-  
norum observatione, in primis vero e recentissimis Che-  
micorum scrutationibus, sole jam clarus elucet, eo simpli-  
ciores & breviores fieri explicationes & theorias, quo perfe-  
ctior fuerit notatio rerum & accurrator naturae speculatio.

### *Thes. II.*

Apparet quoque, & quidem æque fere dilucide tam e  
generali totius Naturæ contemplatione, quam e peculiari Che-  
micorum experientia, quo altius in naturæ adyta penetraveri-  
mus, & quo propius ad perfectam cognitionem corporum &  
elementorum accesserimus, eo distinctiorem nobis fieri continu-  
am seriem vel concatenationem quam in omnibus suis parti-  
bus sine ulla saltu exhibit natura, eoque certius divisiones  
vel sectiones corporum naturalium, ut & terminos inter eas-  
dem, dubias esse vagasque, quin & sœpe prorsus inutiles.  
Quod si enim ad tempora Bergmanni regresci fuerimus distri-  
butionemque corporum inorganicorum ab eo factam in sex ge-  
nera, nempe *Sal*, *Terram*, *Corpus inflammabile*, *Metallum*,  
*Aquam & Aërem*, vel leviter examinaverimus, facilime vide-  
bimus, quam sit hæc distributio hodie transmutata & restri-  
cta. Ubi autem ad tria illa genera quæ ante duo proxime  
præterlapsa decennia bene distincta habebantur, nempe *Alkalia*,

*Terra*

*Terræ & Metalla vel oxida Metallica*, attenderimus, æque facile, quam incerti per progressus Chemiæ facti sunt limites inter hæc genera, præterquam quod novimus, ad unum jam genus vel ordinem eadem reducta esse, quippe quod singula ut Metalla vel oxida metallica considerantur, perspiciemus.

### *Theſ. III.*

Quæ vero quamvis ita sint, adhuc tamen divisiones vel clasificationes quædam e Systemate corporum inorganicorum tollendas esse autemamus, & tandem unam tantum agnoscendam esse continuam, ex elementis corporum inorganicorum formatam, omnibus suis numeris expletam, catenam, cuius inter articulos, sicut fere inter diversos arcus cœlestis colores, transitus vix adeſt sensibilis, sed quorum ultimi tamen fines maxime a se invicem tam electricis quam chemicis proprietatibus distant & tamquam vertices vel poli seriei habendi sunt.

### *Theſ. IV.*

Sic separationem illam corporum simplicium vel elementorum in duas classes, quarum unam oxygenium & alteram corpora inflammabilia constituant, non possumus non supervacaneam habere. Quod si enim oxygenium vel unus fuerit vertex sive polus elementorum seriei, i. e. omnium maxime electronegativum, attamen ei proxime apponenda sunt alia corpora simplicia in altiore gradu electronegativa ut Chlor, Jodinum & alia, quæ analoga efficiunt phænomena perinde ac oxygenium cum ceteris corporibus simplicibus, ex. gr. phenomenon ignis, aciditatem, & sic porro. Hæc igitur principia non majore jure appellanda esse corpora inflammabilia autemamus quam oxygenium, quoniam illa etiam inflammationem i. e. phenomenon ignis efficiunt, quoties cum aliis corporibus conjunguntur. Præterea, quum duo corpora vel elementa chemice asſociantur, certo haud conſtat, quodnam magis fit adiuvum

vum quodque magis passivum, quo quidem pacto utrumque inflammationem & efficere & suscipere accurate loquendo dici omnino poterit; quin &, quando oxygenium cum alio corpore ex. gr. cum phosphore phenomenon ignis efficit, utriusque omnino vis & affinitas seu electricitas pari jure habenda est causa vel origo hujus phenomini. — His vero monitis, non possumus non oxygenium eodem ac cetera corpora simplicia ordine comprehendere, idque tanto lubentius, quod nullam genuinam rationem, cur dictum modo principium a ceteris separetur, inspiciamus. Cum vero corpora sic dicta *inflammabilia* eam jam fere habeant significationem vetustate sua corroboratam, ut corpora quae cum oxygenio conjunguntur denotet, oxygeniumque propterea ægre ad ea referri possit, aptius forsan nomen his omnibus corporibus simplicibus vel elementis, inde ab oxygenio maxime electronegativo usque ad kalium maxime electropositivum, proponere nobis liceat, *Corporum scilicet Pyrogenorum*, si quidem illud scientiae Cultoribus placuerit.

### Thes. V.

E simplificatis vero theoriis hodiernis etiam sequitur, nomen genericum *sal*, quod cum certa significatione diu apud Chemicos valuit, hodieque adhuc usitatisimum est, haud facile, si res accuratiore trutina examinetur, posse adhiberi, quoniam dubium est, quodnam corpus compositum salis nomen sortiatur, quodnam minime. Si enim *Sal* vocatur corpus ex acido & basi vel oxido quodam metallico compositum, ut Chemici vulgo *sal* definiunt, tum *sal commune* (*Chloretum Natrii*) — ex quo tamen significatio ipsius nominis generici derivatum est — definit *sal esse*; contra vero si chloretum hoc ut *sal* adhuc agnoscitur, tunc etiam combinatio quælibet binaria, ex. gr. Sulphureta & oxida, eodem jure *sal* erit.

### Thes. VI.

## Theſ. VI.

Ratione itaque ad ea quæ jam supra (Th. III.) attulimus habita, eorum neutiquam adſtipulari possumus ſententiæ, qui gyro vel ſerie in ſemet ipſam retrograda corpora ſimplicia repreſentant, ut nuperrime fecit Cel. AMPERE, ejusque veſtigiis iſiſtens Cel. BEUDANT (in ſyſtemate ſuo Mineraligico). Novitatis tamen cauſa gyrum huncce, ceteroquin in tres partes, nempe *gazolytes*, *leucolytes* & *croisolytes*, diuiſum, heic exhibere juvabit, quocirca tantum obſervabimus artificiosam magis quam naturalem eſte hanc corpora ſimplicia diſponendi methodum.

Silicium		
Boron	:	Tantalum
Carbonicum	:	Molybdænum
Hydrogenium	:	Chromium
Azotum	:	Wolframium
Oxygenium	:	Titanium
Sulphur	:	Osmium
Chlor	:	Rhodium
Fluorium	<i>Gatolytes</i>	Iridium
Jodinum	<i>Croisolytes</i>	Aurum
Selenium	:	Platina
Tellurium	:	Palladium
Phosphor	:	Cuprum
Arsenicum	:	Niccolum
Antimonium	.....	Ferrum
Stannum	:	Cobaltum
Zincum	:	Uranium
Cadmium	:	Manganium
Bismuthum	<i>Leucolytes</i>	Cerium
Hydrargyrum	:	Zirconium
Argentum	:	Aluminium
Plumbum	:	Beryllium
Natrium	:	Yttrium
Kalium	:	Magnesium
Lithium	:	Calcium
Baryum	:	Strontium

---